

3145

LITURGICI.

3146

DCCCCIII.

¹³² Codex, ut antecedens, et ejus Pars altera, Folior. 20. f. continet *Preces* ante et post susceptionem *Eucharistiae* dicendas.

DCCCCIV.

⁴⁰⁴ Codex membranaceus lat. Sec. XV. Folior. 57. 4. luculente scriptus, *Iconibus Sanctorum* nunc 23. periit enim *Icon Sebastiani*, ornatus, literis initialibus et limbis florulentis auro coloribusque decoratis, sacras *Preces* continet ad usum quondam *Alberti VI. Archid. Austriae filii Ernesti* dicti *Ferrei*, et fratris *Friderici III. Imp. anno 1463. aet. 45. defuncti*, cujus sedentis, togati, capite pileum archiducalem gestantis, capillo, barbaque flavescente, et manibus corollam precatoriam volventis Effigies conspicitur fol. 1. p. 2. Liqueat istud ex oratione fol. 27. ubi: *Et me indignum famulum tuum Albertum vnacum omni gradu ecclesiastico in omni sanctitate custodi.* Initium porro facit *Calendarium* prima fronte Scutum gentilitium Archid. Au-

striae exhibens, in quo peculiari-ter rubra *Festa Valentini ep. Blasii ep. Floriani Mart. Gangolfi Mart. Jobannis et Pauli Martt. Vdalrici ep. Margarethae virg. Inuentio s. Stephani. Translatio s. Valentini. Oswaldi regis. Augustini ep. Egidii abb. Colomanni hic dicti ep. et Nicolai ep.* Deinceps sequuntur *Evangelii S. Job.* initium, *Psalmi* dicti *Poenitentiales*, *Litaniae OO. SS.* in quibus raro exemplo *S. Helior* et *S. Czimburga* invocantur; *Czimburga* putem ob nomen *Matris Alberti*, quae *Alexii Massoviae Ducis* filia fuit. Haec excipit *cultus* variorum *Sanctorum* per *Antiphonam*, *Versum* et *Orationem*, praefixis, ut supra dictum, depictis *Singulorum iconibus*. Tum rursus quaedam *Preces ad Christum*, quae in praeviis *Rubricis* dicuntur *Indulgentiis* roboratae a *Bonifacio VIII.* item *Gregorio M.* item *Nicolao V.* et *Callisto III.* anno *Pontificatus sui secundo*, unde adparet *Librum nostrum* non nisi post an. 1455. scriptum fuisse. Finem imponit *Hymnus ad B. V.* versu hexametro:

O veneranda dei mater benedictaque virgo
Salve millesies pulcherrima nympha maria &c.

praevio schemate picturato *Quercus*, cujus singulis foliis titulus quidam *Servatoris v. g. Ihesus liber signatus. Iesus vultu velatus* &c. singulis vero glandibus virtus aut proprietas ejus aliqua inscripta est, puta: *Eternitas diuini*
Denis Codd. Theol. V. I. P. III.

regni. Equitas futuri iudicii &c. Arbor haec ad imitationem illius facta videtur, quae famoso *Conformitatum S. Francisci cum vita I. C. Libro* in edit. *Mediol. 1510.* et 13. f. facem praefert, multoque jam ante in *Mss.* praetulerit.
S s DCCCCV.